



Disputatio juridica inauguralis de sponsalibus

<https://hdl.handle.net/1874/343249>

24

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
SPONSALIBUS,

Q U A M

PRÆSIDE DEO TER OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS MUNNICKS,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri, atque in inclytâ ejusdem Academiâ
Medicinæ Anatomes & Botanices Antecessoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicî consensu, & Alma

Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in **UTROQUE JURE** Honoribus &

Privilegiis rite consequendis,

Eruditorum examini subjicit

JEREMIAS ORROCK, Medioburgenſis.

Ad diem 31. Julii, horâ locoque solitis.



TRAJECTI AD RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiz
Typographi Ordinarii, clo Ic Lxxxv.

Nobilissimo, ac maximè Reverendo

D O M I N O,

**D. JOHANNI
O R R O C K ,**
rerum capitalium fœ-
derati Belgii, terrâ ma-
riique, Magno & Ge-
nerali Præfecto Mili-
tari, parenti ac Mæ-
cenati meo unico,

*Hæc Theses inaugurales, seque
humillimè dicat, ac dedicat*

JEREMIAS ORROCK.

Auctor & Resp.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
SPONSALIBUS.

THESSIS I.



RÆ cæteris hæc materia placet,
quum eam nosse adolescentibus sit
salus. Non tamen totam, sed par-
ticulas quasdam maximè utiles tra-
ctabimus; Definitionem nempè,
personarum debitum consensum,
probationem, effecta, & quâ ra-
tione quandòque justè dissolvantur.

II.

Vulgò sponsalia describuntur: *Futurarum nuptiarum mentio, & re promissio. l. i. ff. de sponsal.* Per men-
tionem interrogatio, per re promissionem responsio con-
veniens notatur: *Futurarum nuptiarum*, non præsen-
tium; In has enim justè consentire matrimonium est.
Adeoque decantata sponsalium in de præsenti, & de fu-
turo distinctio contradictionem sapit in adjecto.

A 2

III. Qui

4 DISPUTATIO JURIDICA

III.

Qui septimum ætatis annum excesserunt, ea contrahere poterant *l. 14. ff. h.t.* Hodie magnatibus, quum raro similem sponsam inveniant, hoc licet, ipsique validè contrahunt: Reliquis non tantæ dignitatis hominibus, quod hâc in parte egerint, haud ratum est, nisi miores, aut sui juris facti, illud confirmaverint, ne restitutio in integrum sit locus.

IV.

Ad hujus contractus valorem eorum consensus, quorum in nuptiis, requiritur: Non opus est, ut cum DD. multum disputemus de matris consensu, an de honestate, an autem de necessitate desideretur; quum patriæ nostræ leges matrem jure merito defendant, *art. 3. Polit. Ordin.* hisce verbis: *Het consent van hare Ouderen, ofte de langstlevende van dien.* Neque filius hâc in parte filiæ præfertur, quamvis emancipatus, Jure Civili, & invitatis parentibus, uxorem duceret; Neque filia pro se posset allegare, quod pudicitia periculum crearetur, si nuptias, ex parentum voluntate, cogeretur protrahere; Ac proinde habeantur nullo discrimine.

V.

Non tamen ad sponsalia contrahenda liberi à parentibus cogi possunt, licet sub juramento ea promiserint, ne in odium vertatur, quod vinculum amoris esse debet. Apud Romanos ipsi filio sine causa à parentibus dissentire licuit, *l. 13. ff. h.t. l. 21. ff. de Ritu Nupt.* Non autem filiæ, nisi turpem sponsum pater elegisset, *l. 12. ff. h.t.* Quod tamen moribus utriusque sexui æquè concessum.

VI. Pa-

V I.

Parentum verò dissensus ab honestis liberorum desideriis, non tantum obtinet. Nam, ubi liberi majores sunt, justas causas, ob quas dissentiant, parentes coguntur proferre, nisi malint magistratus autoritatem interponi, *arg. l. 19. ff. de Ritu Nupt.* judex enim causas ponderat; quas inter nec bonorum, nec status disparitas, in his præcipue Regionibus, multum valent; nisi manifestus sit dolus, aut aliter sit actum: In minoribus liberis alia ratio est, in his enim parentis arbitrium sufficit. In utrisque perindè est, sive præcedat consensus, sive subsequatur per ratihabitionem.

V I I.

Idem judicandum de ipsarum partium consensu, qui sive verbis fiat, sive literis; sive inter præsentes, vel absentes, per literas, vel procuratorem; sive arrhis intervenientibus, vel nudâ reprobatione, suum eò usque fortitur effectum, ut nemini ab hoc contractu, parte invitâ, liceat recedere; Modò, si sub conditione sit initus, hæc honesta sit, & possibilis, & ab alterius potestate non dependens. Probrosa, vel impossibilis conditio, quæ matrimonii intrinsecum decus impugnat, sponsalibus contraria est. Secus illa, quæ quidem inhonesta, non tamen nuptiis adversa; Hæc enim pro non adjectâ habetur.

V I I I.

Nobis nulla clandestina sunt sponsalia, nisi insciis vel invitis parentibus inita, quamvis mille testes intervenerint. Ubi promissio clam facta ab alterutrâ pacte negetur, neque

A 3 possit

6 DISPUTATIO JURIDICA

possit probari per indicia vel testes , juramentum suppletorum nequit deferri. In hâc enim causâ , ut in Criminali, probationes luce meridianâ clariores requiruntur ; Et, actore non probante, reus absolvitur, etiamsi nihil contrâ præstet, *I. 4. C. de Edendo.* Verùm, ubi ex indiciis, vel unius testimonio proba minus sit plena , in arbitrio judicis est, utrum parti juramentum imponat. Hâc in re multum existimationi mulieris juraturæ tribuitur : Etenim inopi , malæ famæ , vitiatae fœminæ vix jusjurandum defertur; quia plerunque parvi pendet , quid juret, modò infamiam deleat ; Honestâ verò non censetur in stuprum consensisse , nisi fide de matrimonio secuturo datâ.

I X.

Sponsaliorum effectus est, ut nuptiarum futurarum obligationem inducant ; Adeoque cum ipso arrharum dispendio recessus ab iis non datur, contra *I. 5. C. b. t.* Imò ipso carcere coactio est. Excipitur filius natu major, qui, parentibus invitis, sponsalia contraxerit : Hic enim ad ea consummanda cogi non potest , si parentum voluntati malit obediens, ut sèpè judicatum est , quamvis à parte suâ non desinant subsistere.

X.

Quandoque tamen sponsalibus renunciandi justæ sub sunt cause : contracta namque sub conditione , eâ non impletâ , evanescunt. Fortè alter dotem magnam promisit , quam præstare non potest : Bona habet hypothecis subjecta , quod per malitiam dissimulavit : vel ditissimus repente pauper est factus. Si autem nulla dos pro-

DISPUTATIO JURIDICA. 7

promissa sit , sibi imputet sponsus , qui de dote præstandâ nullum pactum iniverit.

X I.

Casus superveniens , qui a DD. impedimentum dirimens dicitur , non minus justè excusat. e. g. Coëundi horror , vasorum seminalium imbecillitas , lepra , paralysis , morbus comitialis , subita deformatio in sponsâ , & similis calamitas. Imò si alterius fornicatio intercedat , quum fidem frangenti fides non servetur , & ob eam ipsum matrimonium dirimi possit. Libido sponsi , quæ sponsalia præcessit , non impedimento est , ut sponsam horum pœnitentia : Sponsus autem , si suam ex alio uterum gestare , vel jam peperisse deprehendit , eam justè repudiat ; secus , si vitiata quidem , tamen pro virginе se gerit.

X I I.

Tempus edax rerum itidem contractum nostrum dissolvit. Moribus puellam potest pœnitere , si sponsus in eādem Provinciā degens per biennium vota eludit. Absentis vero diutina mora ad biennium , vel quadriennium toleratur , quamvis Canonici nullum tempus præfigant , forte religionis intuitu. Multa restant , quæ , ob temporis angustiam , facimus missa.

CO-

COROLLARIA.

I.

Constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi cadit in quemlibet bonum civem.

II.

Distinctio Universalis & particularis iustitiae absurdia videtur.

III.

Filium in Testamento Universali fidei-commisso totius portionis ab intestato debita velle onerare, & detractionem legitima sub pena simul prohibere, non aquum est.

F I N I S.